THESES THEOLOGICÆ, DE NECESSITATE ET UTILITATE REVELATIONIS DIVINÆ,

IN
USUM
STUDIOSÆ JUVENTUTIS
CONSCRIPTÆ
A

JOH. GEORG. ABICHT, D.

GEDANI,
Typis THOMÆ JOHANNIS Schreiber/
SENATUS & ATHENÆI TYPOGRAPHI,
ANNO 1725.

NOMINA
DNN. RESPONDENTIUM,
qui in exercitiis diſputatoriis ſequentes theſes defendent.

Godofr. Salomo Kickebuſch, Gedan.
Godofr. Henning, Gedan.
Michael Troſien, Gedan.
Andreas Schott, Gedan.
Martinus Bœhm, Mariæb. Boruſſ.
Joh. Philip. Penski, Oſteroda-Pruſſus.
Joh. Jungius, Gedan.
Georg. Friedr. Coſack, Ged.
Joh. Sam. Weinholtz, Parlino-Pommer.

THESES THEOLOGICÆ, DE NECESSITATE ET UTILITATE REVELATIONIS DIVINÆ.

Thesis I.

LUmine naturæ homines multas veritates & leges divinas cognoſcere poſſunt, quæ generi humano admodum ſunt utiles & neceſſariæ. Cognoſcere poſſunt: DEUM exiſtere, eumque unum eſſe in eſſentia: DEUM non eſſe viſibilem, nec corruptioni obnoxium, ſed perfectiſſimum: DEUM eſſe bonum, ſapientem, juſtum omnipotentem, ſanctum, æternum: DEUM creaſſe mundum, & regere eundem providentia ſua, & quæ ſunt plura reliqua.

Th. II.

Homines quoque naturali lumine cognoſcere poſſunt: DEUM eſſe honorandum, amandum, timendum & adorandum: DEO eſſe gratias agendas, pro bonis nobis benignè exhibitis, & plura ſimilia.

Th. III.

Homines quoque poſſunt cognoſcere diſcrimen virtutum & vitiorum: quasdam actiones eſſe ju-

ſtas & honeſtas, alias turpes. Non poteſt homo delere hæc naturalia judicia: agnoſcere poſſunt omnes, juſtum eſſe: obedire DEO, honorare parentes; Similiter, injuſtum eſſe, innocentes interficere, infantes occidere &c.

Th. IV.

Cognoſcere poſſunt homines leges: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; homines peſſimè viventes, pœna dignos eſſe: DEUM eſſe juſtum, & peccatores punire; Eundem eſſe bonum, & ſe benignum exhibere omnibus.

Th. V.

Homines ſe ipſos reſpicientes cognoſcere poſſunt, ſe à DEO accepiſſe animam rationalem, ejusmodi facultatibus præditam, quæ rationes de ſuis actionibus DEO reddere poſſit, quæque propter ſcelera commiſſa nunquam eſſe poſſit tranquilla, niſi DEUS iratus reconcilietur.

Th. VI.

Hæ notitiæ naturales non ſunt præjudicatæ opiniones; homines enim eas ex mente delere non poſſunt, ſed quo diutius eas revolvunt, eò evidentius menti ſiſtuntur. Quamvis enim corrupti affectus iis contradicant, conſcientia tamen earum veritatem tuetur. Si homines non conſentiunt in omnibus, conſentiunt tamen ſapientes in plurimis. Omnes certè fatentur, injuſtum eſſe, benefactoribus mala retribuere, parentes occidere, & quæ ſunt plura alia.

Th. VII.

Th. VII.

Verum enim verò ex intellectus & voluntatis corruptione, affectuumque pravitate est, quod plures veritates & leges in dubium sint vocatæ. Sceptici de omnibus dubitarunt. Cæcilius inquit apud Minuc. pag. 4. *Omnia sunt dubia, incerta, suspensa.* Fuerunt inter Philosophos, qui vel DEUM planè negarunt, vel naturæ potentiam pro Deo habuerunt, vel Deos multiplicarunt, vel fœdo modo coluerunt.

Th. VIII.

Tanta est humanæ mentis infirmitas, ut populi sapientes cœlum & DEUM conjungant & adorent. Romæ nuper anno 1715. agitata est quæstio, utrum Sinenses sint Athei? Jesuitæ id negarunt, aliis adfirmantibus. Verum est, Sinenses agnoscere virtutem cœlo visibili insitam, cui templa consecrant & sacrificant. Ex quo patet, Sinenses cum Christianis non eandem DEI ideam tenere; sed propterea nollem eos Atheis accensere. Conf. Histoire de la Philosophie Payenne, T. I. pag. 30. seq. ubi hæc controversia refertur.

Th. IX.

Qui tantam intellectus, voluntatis & affectuum corruptionem perpendit, & advertit, homines in tantis tenebris ambulare, ut ne quidem Creatorem suum certè agnoscant; ille facile intelliget, necessariam fuisse Revelationem divinam, quæ certò doceat, qualis sit rerum omnium conditor, qui à creaturis, facultate eum colendi præditis, colendus & adorandus.

Th. X.

Eadem Intellectus corruptio manifesta est, si mentem in attributa DEI vertamus. Plurimi quidem Philosophi & Poëtæ confessi sunt, DEUM esse omnipotentem; sed non defuerunt aliqui, qui id negarunt. Philosophi, qui DEUM fato subjecerunt, ademerunt ei omnipotentiam. Seneca hanc sententiam Epicuro exprobrat: *tu denique Epicure, DEUM inermem facis, omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam; & ne cuidam metuendus esset, projecisti istum extra metum.* Seneca de beneficiis Lib. IV. Cap. XIX. Alia attributa DEI, vel planè negata, vel ineptè explicata prætermitto. Spero, omnes hæc perpendentes confessuros esse, veram DEI attributorum notitiam, non meliori ratione à DEO tradi potuisse, quàm revelatione.

Th. XI.

Providentia divina ab omnibus ferè gentibus fuit agnita. Fuerunt pauci, qui eandem negarunt. Lactantius refert, eam à Democrito & Epicuro esse negatam: *Natura sitne providentia,* inquit, *quæ rebus omnibus consulat: an fortuito vel facta sint omnia, vel regantur. Cujus sententiæ auctor est Democritus, confirmator Epicurus.* Lactanctius de falsa Relig. Lib. I. Cap. II. p. m. 16. Ex hac quoque sententia mentis humanæ imbecillitas cognoscitur, cui optimè divina revelatione est consultum, quæ dictis & factis sanctum providentiæ divinæ theatrum exhibet.

Th. XII.

Th. XII.

Multi Philoſophi admiſerunt æternitatem materiæ, & putarunt ex nihilo nihil fieri. Irenæus teſtis eſt, qui Lib. II. cap. XIX. p. m. 141. ſcribit: *Ex hoc autem, quod ex materia ſubjecta dicunt fabricatorem feciſſe mundum, & Anaxagoras & Empedocles, & Plato primi ante hos dixerunt.*

Th. XIII.

Scriptura verò Sacra dirimit difficultatem hujus periculoſæ quæſtionis. In primo enim Geneſeos capite docetur: DEUM præextitiſſe, & verbo ſuo omnipotenti mundum creaſſe. Hinc Judæi Maccabæorum tempore, & Judæi Karæi credunt, DEUM omnia ex nihilo creaſſe. Conf. Maccab. II. cap. VII. v. 28. & Trigland. de Sect. Karæorum, cap. X. pag. 155.

Th. XIV.

Quammaximè apparet intellectus humani infirmitas ex creaturis, quas cultu divino in variis mundi partibus coluerunt. Quidam Philoſophi perſvaſi fuerunt, *mundum* eſſe *Deum*, & quidem ex ſententia Platonicorum *ſecundarium*; ex ſententia verò Stoicorum *primarium*. Orig. adv. Celſum Lib. V. Ex hoc errore natus eſt alius; argumentati enim ſunt: ſi totus mundus eſt Deus, ergo & ejus partes ſunt Dii, hinc animalia bruta, aves, piſces &c. tanquam Deos coluerunt.

Th. XV.

Hujus ratiocinii abſurditatem eleganter oſtendit Lactantius L. II. de Origine erroris, cap. V. p. m. 191.

Si

Si Deus eſt mundus, & partes ejus utique immortales ſunt: Ergo & homo Deus eſt, quia pars eſt (ut dicitis) mundi. Si homo, ergo & jumenta & pecudes, & cætera genera beſtiarum, & avium, & piſcium: quoniam & illa eodem modo ſentiunt, & mundi partes ſunt. At hoc tolerabile eſt: nam & hæc colunt Ægyptii. Sed res eo pervenit, ut ranæ & culices, & formicæ Dii eſſe videantur, quia & ipſis ineſt ſenſus, & partes mundi ſunt. Ex tantis tenebris mens humana haud feliciori remedio retrahi potuit, quàm Scriptura à DEO ipſo inſpirata, quæ unum & ſolum DEUM adorandum præcipit. Qui hanc legit, mox intelligit, illa ratiocinia, non diſſerentium, ſed ſomniantium eſſe figmenta.

Th XVI.

Animæ immortalitas, cui omnis religio & moralis doctrina ſuperſtruitur, à plurimis quidem Philoſophis agnita, ab aliis verò haud paucis eſt negata. Epicuri aſſeclæ animæ mortalitatem variis rationibus adſtruere conati ſunt. Statuerunt: *Animam diſſipari in principia corpuſculave, ex quibus ejus textura eſt: idque non modo inſtar aquæ vaſe conquaſſato diffluentis, ſed etiam abeuntis in auras fumi, aut nebulæ, ac fumi ſimulacris valeat percelli.* Confer. Stanleji Hiſtor. Philoſ. T. II. de Philoſophia Epicuri P. II. c. 22. p. 1031.

Th. XVII.

Ratione quidem aſſequimur, animam ex particulis contextam cogitare non poſſe; ſed Scriptura à DEO inſpirata tollit omnem difficultatem. Aſſerit enim, homines poſſe corpus, non verò animam occidere,

dere, Matth. X. 28. Eadem nobis confirmat: demortuos, Abrahamum, Isaacum & Jacobum coram DEO vivere, Matth. XXII. 32. Luc. XX. 38. & quæ alia sunt ejus testimonia.

Th. XVIII.

Fuerunt quidem Philosophi, qui agnoverunt res quasdam sua natura justas & injustas esse, & præviderunt, sine hac fundamentali veritate omnia moralia præcepta esse lubrica. Arist. Rhet. L. I. c. XIII. *Omnes conveniunt*, inquit, *aliquid naturaliter esse commune, justum & injustum, etsi nulla sit inter hæc communio vel consensus.* Vide plura testimonia in Histoire de la Philosophie Payenne, T. II. p. 20. seq.

Th. XIX.

Sed non defuerunt Philosophi alii, qui docuerunt, nihil sua natura esse justum & injustum. Pyrrho tradidit: *nihil vel honestum esse, vel inhonestum, justum vel injustum.* Stanlej. Hist. Phil. P. XI. c. 2. p. m. 919. Scriptura S. hunc quoque perniciosum errorem sustulit, & quid honestum & inhonestum, quid justum & injustum sit, perspicuè & divina autoritate tradidit.

Th. XX.

Ex plurimis maximè necessariis, quæ sana ratio non docet, proferam cognitionem originalis hominum corruptionis. Hæc notitia hominibus est necessaria; ignorata enim humani generis corruptione, ignoratur quoque justitia divinorum judiciorum, quibus terræ incolæ frequenter premuntur. Cognita verò humani generis corruptione, cognoscitur quoq;

DEUM esse justum; homines verò peccatores, qui divina judicia provocarunt. Originalem verò corruptionem generis humani evidenter docuit Sacra Scriptura.

Th. XXI.

Cùm judicia divina & calamitates irruunt, dicit ratio: *feras non culpes, quod mutari non potest.* Sed hæc consolatio est exigui ponderis. Profert quoque ratio: plures miseros fuisse similibus calamitatibus obnoxios juxta proverbium: *Solamen miseris, socios habuisse malorum.* Sed & hoc solamen tam firmum non esse, omnes calamitatibus pressi experiuntur. Alia longè solatia Scriptura S. revelavit: nos esse peccatores; DEUM verò justum: sincera pœnitentia recedendum esse à via peccatorum, & redeundum ad DEUM, qui gratiam promisit omnibus verè pœnitentibus. DEUM suos filios variis calamitatibus probare, eosque meliores reddere.

Th. XXII.

Quoniam homines corupti sunt, & DEUM quotidie peccatis suis offendunt, ratio humana intelligit: partem primam & potissimam cultus divini constituendum esse in valida & sufficiente satisfactione pro nostris peccatis. Nisi enim ira Divina satisfactione placata, DEUSque nobis reconciliatus esset, cultus DEO vel planè nullus, vel saltem hypocriticus exhiberetur.

Th. XXIII.

DEUS amore, fiducia & spe non colitur, nisi amor,

amor, fiducia & ſpes ferantur in DEUM nobis propitium. Nemo DEUM amat ſuper omnia, ſi ex peccatorum morſu ſciat, ſe DEO exoſum & abominabilem eſſe. Quem conſcientia ſcelerum patratorum anget, ille ſe fiducia in DEO collocata, non poteſt erigere. Sic quoque hypocriticus eſt externus & ſolennis cultus eorum hominum, qui DEO nondum reconciliati, nec fide & charitate donati ſunt.

Th. XXIV.

Lumen naturæ non ſuggerit hominibus peccatoribus medium efficax, validum & ſufficiens iram divinam placandi & peccata expiandi. Sed quamdiu DEUS peccatis nondum expiatis adverſus peccatores iraſcitur, tamdiu homines damnationi manent obnoxii. Unde manifeſtum eſt, ſine Revelatione divina, quæ reconciliationis rationem docet, homines eſſe miſerrimos.

Th. XXV.

Pœnitentia, quatenus eſt dolor ob peccatum, apud animum retractat quidem, improbat & deteſtatur peccata; ſed hæc pœnitentia ſaltem concernit peccatorem, qui quodammodo eadem mutatur; non verò concernit DEUM, cujus Leges noſtris peccatis violatæ, quique ipſe à nobis injuria affectus eſt. Præter pœnitentiam etiam neceſſaria eſt ſatisfactio DEO læſo à nobis præſtanda. Uti emtio agri ſola retractatione emtoris non aboletur, ſed etiam venditoris juri ſatisfaciendum eſt; ſic pœnitentia noſtra peccata non

delentur, nisi DEO, quem læsimus, satisfiat. DEO verò non satisfit nisi luitione pœnæ, ad quam peccatum sua natura peccantem obligat. Homo, qui alteri injuriam vel aliud damnum intulit, non delet peccatum sola pœnitentia, sed etiam tenetur ad satisfactionem, & ablati honoris vel damni compensationem. Lumen naturæ nullam docet satisfactionem pro peccatis factam, sola Scriptura S. eam hominibus revelavit.

Th. XXVI.

Dicis: Homo ex bonitate DEI sperare potuit, peccatorum remissionem sine satisfactione. Respondeo: ex sola bonitate DEI nemo sibi certo peccatorum remissionem promittere potest, quia DEUS non solùm bonus, sed & justus est. Bonitas quidem DEI nostra miseria excitari potuit, ut nostri misereretur, sed ejusdem Justitia nostris peccatis læsa eundem impellere potuit, ut à nobis satisfactionem exigeret. Utrum verò DEUS ex bonitate sua nobiscum agere, & peccata sine satisfactione remittere; an verò peccata pro justitia sua punire velit, id ex lumine naturæ non constat. Revelatio sola declarat hominibus voluntatem divinam, qua ratione omnia peccata remittere velit.

Th. XXVII.

Regeris: multorum Patrum & Scholasticorum sententia est, DEUM liberrimum sine satisfactione ex sua bonitate remittere potuisse peccata. Conf. Petav. T.V. Dogm. Theol. L. II. c. 13. p. m. 96. Respondeo cum

cum Beato Joh. Musæo: *Stante Patrum veterum & Scholasticorum communiori sententia, quod peccata sine interveniente satisfactione à DEO remitti, non repugnet: potest DEUS pro sua libertate se determinare ad utrumlibet, nempe & ad peccata pœnitentibus pro bonitate sua gratis ac sine satisfactione condonanda; & ad eadem pro Justitia sua non condonanda, nisi prius plena præstita fuerit satisfactio.* Conf. *Examen Scherburianismi* §. 64. p. m. 34. Unde apparet hominem sine revelatione de remissione peccatorum suorum certum esse non posse.

Th. XXVIII.

In hac periculosa incertitudine non melior expectari aut optari potuit ratio, quæ hominem ex tantis tenebris retraheret, nisi ipsum verbum Prophetis inspiratum. Dum homines disputant, utrum DEUS possit ex bonitate remittere peccata; an verò ex justitia eadem possit punire; accedit ipse DEUS & revelat suam sanctissimam voluntatem, docetque se velle remittere peccata, tum pro sua bonitate, tum pro sua justitia, interveniente Christi expiatione.

Th. XXIX.

Homo naturalis, pœnitentia quidem errores quosdam retractat; sed non omnia retractare potest, quia non omnia cognoscit. Gentiles nulla agnoverunt peccata, nisi actu commissa, peccatum originale ipsis prorsus erat ignotum. Putarnnt hominem recens natum, neque bonum neque malum esse, sed utrumque fieri ex educatione. Quæ verò peccata homo non agnoscit, eorum veniam nec à DEO petit. Homo ita-

itaque inſcius ſemper manet, exoſus DEO propter peccatum originale. Sola revelatio docuit peccati originalis turpitudinem, tradiditque rationem, qua illud expiatum.

Th. XXX.

Pariter ratio deficit in deſcriptione futuri ſtatus hominum. Ignorat lumen naturæ reſurrectionem corporis, quod gentilium teſtimoniis probavit Tob. Pfanner. in Syſtem. Theol. Gentil. cap. XIX. p. m. 427. Qui ex gentilibus crediderunt: homines revicturos, id ſine dubio ab aliis, fortaſſe à Prophetis divinis acceperunt. Sed paginæ ſacræ evidenter tradunt, decretum divinum, ſecundùm quod omnes homines reſuſcitabuntur. Subminiſtrant eædem auguſtum exemplum Chriſti ex mortuis reſuſcitati, qui ſe non ſolùm vivum exhibuit Apoſtolis, ſed etiam aliis quingentis & pluribus fidelibus, I. Cor. XI. 6.

Th. XXXI.

Cognoverunt Gentiles juſtorum hominum felicem poſt mortem ſtatum. Plutarchus T. II. in Conſol. ad Apollonium p. m. 115. de mortuis dicit: quod juſti demortui melioris & præſtantioris naturæ ſint compotes. Deinde addit: *atque hæc noſtra ſententia ita vetuſta eſt, ut ejus & initium & auctor prorſus ignoretur. Sed ab infinita uſq; æternitate continenter ea ſic eſt propagata.* Antiquiſſima itaq; ſententia fuit de mortuorum ſtatu felici. Plato ex Muſæo, antiquiſſimo Poëta, refert, olim fuiſſe creditum: *juſtos demortuos apud inferos agere, & in ſanctorum conviviis collocari; eosdem coronari, &*

ma-

magna semper in voluptate ebrios vivere. Plato de Republ. L. II. p. m. 595. Huic vago noctis lumini divinæ revelationis lumen lucidum illuxit, & longè melius cœlestem justorum statum descripsit, miseriæque humanæ solatium firmum attulit.

Th. XXXII.

Absurdum & fœdum idolorum cultum, quem Gentiles pluribus in locis introduxerunt, evidenter quoque Revelatio divina supprimit. Notus est insanusBacchanaliorum cultus in Bacchi honorem institutus, & multis Gentilibus acceptus. Indicta sunt Bacchanalia per anum deliram & temulentam. Bacchantes nympharum & heroum habitu progressi sunt in forum ad sonum tibiæ, cum lasciva gesticulatione compositis modis psallentes, vinumque cum bellariis libaque ex melle magna bibendi licentia circumferentes. Mulieres & viri hedera ornati, crine fluxo lymphatis animis debacchatæ, cum thyrsis velut insanientes & furore afflatæ obvios percusserunt. Vid. Pitisci Lexicon Antiquit. Tit. Bacchanalia. Præterea reliqua obscœna, ut & Floralia, de quibus Lactant. L. I. cap. XX. p. m. 121. aliosque nefandos cultus, silentii peplo involvendos.

Th. XXXIII.

Abominabilis est alius Gentilium cultus, quô innocentium hominum victimas sacrificare, Deosque sibi propitios reddere laborarunt. Talem cultum refert Euseb. Præpar. Evang. L. V. cap. XVIII. p. m. 208. *Jubet Apollo*, inquiens, *suis è liberis mares ab iis septem*

quot-

quotannis impuberes mitti, fœminasque virgines totidem; pro uno quatuordecim, insontes omnes, nulliusque facinoris conscios, idque non semel tantum, sed annis singulis apud Minoem immolandos.

Th. XXXIV.

Longè alii cultus à Mose instituti sunt. Præcepta erant sacrificia, quæ verum & unicum sacrificium præfigurarunt; sed præcepta etiam erat pœnitentia seria & vera, qua remissio peccatorum impetrata est. Agnovit hoc David Ps. LI. v. 18. *Non delectaris sacrificio*, inquiens, *ut illud dem, holocaustum non approbas. Sed sacrificia DEI sunt spiritus contritus, cor infractum & contritum DEUS non spernet.* Et in N. T. abolitis sacrificiis Salvator præcepit, ut DEUS *spiritu & veritate adoretur.* Vult Christus, ut DEUS adoretur interno spiritu, sine sacrificiis in certo loco offerendis; & veritate, i. e. cum recordatione veri & unici sacrificii, sine umbris verum corpus Christi præfigurantibus; conf. Coloss. II. 15, 16. Hebr. X. 1. Nos offerimus DEO spirituales victimas, acceptas DEO per JEsum Christum, I. Petr. II. 5.

Th. XXXV.

Revelatio divina præscribit cultum, soli DEO præstandum, cui debetur intuitu attributorum excellentissimorum. Eadem præcipit cultum spiritualem naturæ divinæ convenientem, *DEUS enim est spiritus, & eos, qui eum adorant, in spiritu & veritate oportet adorare.* Joh. IV. 24. Tandem DEUS adorandus est in nomine Christi, ut auxilium, benedictionem, & spiritualia bona

bona impetremus, & gloriam divinam promoveamus. Qui hunc cultum cum illo Gentilium componit, intelliget facile Revelationem esse beneficium divinum, quò excellentiùs generi humano dari non potuerit.

Th. XXXVI.

Quia homines à nativitate corruptissimi sunt, nec cultum DEO debitum decenter præstare possunt, affert Revelatio divina tum spirituales vires, tum magna pondera, quæ cultum spiritualem facilem reddunt. Offert illa Spiritum Sanctum, qui peccatorem convertit, fidem accendit, justificat, sanctificat, & in fide conservat omnes, qui ad cœlestia habitacula transferuntur. Si DEUS suam voluntatem de hominum salute revelasset, nullas verò corruptæ menti vires attulisset, frustranea fuisset revelatio divina.

Th. XXXVII.

Profert quoque Revelatio divina magna pondera, quæ amorem erga DEUM, & charitatem erga proximum excitant & provehunt. DEUS ita dilexit mundum, ut ei daret Filium suum unigenitum; qui amor nos ad mutuum amorem novo & rationi ignoto vinculo obligat. Christus ex amore se pro nobis obtulit sacrificium, ut nostra peccata expiaret; qui amor ad mutuam erga proximos charitatem vehementer excitat. Alia plurima prætermitto.

Th. XXXVIII.

Revelationes N. T. etiam maximè utiles & necessariæ fuerunt, partim ut oraculorum divinorum eventus describerent; partim ut alia oracula nondum

impleta explicarent; partim ut sensum Scripturæ V. T. Judæorum glossis obscuratum pristinæ luci restituerent.

Th. XXXIX.

Non opus est fusè ostendere, oracula V. T. in N. T. sua habere complementa, illorumque eventus ab Apostolis esse descriptos; omnia enim, quæ de Messiæ nativitate, passione, morte, resurrectione & adscensione ad cœlos, leguntur, prædicta erant in V. T. Oracula V. T. de devastatione Hierosolymæ, amplificatione regni Christi, resurrectione mortuorum, judicio extremo, aliisque futuris eventibus, in N. T. explicata esse, nemo est, qui dubitat.

Th. XL.

Sensum Scripturæ V. T. Judæorum glossis obscuratum fuisse multis rationibus probari potest. Promissionem Messiæ spiritualis, qui peccata mundi expiaret, mutarunt Judæi in promissionem Regis temporalis, qui ipsos ab imperio Romano vindicaret.

Th. XLI.

Qui Judæorum proprias opiniones perpendit, tenebras plures sensui Scripturæ affusas cognoscet. Putant Judæi mundum propter se, & non propter alios populos creatum esse. Sic loqvuntur L. IV. Esdræ cap. VI. 59. *Si propter nos creatum est seculum, quare non hæreditatem possidemus cum seculo? usquequo hæc?* Ex hoc errore plures alii promanarunt, primam & secundam Decalogi tabulam pervertentes.

Th. XLII.

Th. XLII.

Judæos corrupiſſe ſecundam tabulam, ex multis quoque rationibus conſtat. Conf. Matth. V, v. 21. ſeqq. Præter alia docuerunt: *amicos eſſe diligendos, inimicos, odio proſequendos*, ibidem v. 43. Maximè corruperunt ſenſum ſexti præcepti, exactione libelli repudii, ibid. v. 31. Dixit Chriſtus, Judæos poſtulaſſe repudii libellum ex cordis ſui duritie, quam B. Chryſoſt. Hom. XVII. in Cap. V. Matth. p. m. 216. evidenter explicuit: *Hoc quidem factum eſt*, inquiens, *propter aliam malitiam, multoq; majorem. Si enim retineri exoſam præcepiſſet uxorem, facile profecto, illam, qui oderat, occidiſſet; Talis quippe erat natio Judæorum. Qui enim ne filiis quidem propriis parcere, & Prophetas ſolebant frequenter occidere, ut aquam ita humanum effundentes cruorem; multò illi minùs odioſis conjugibus peperciſſent. Propterea igitur conceſſit minus, ut quod longè erat majus, incideret.* Conf. Hieron. in Cap. XIX. Matth.

Th. XLIII.

Si DEO placuiſſet per inflatus internos homines illuminare & convertere, non ſatis conſultum fuiſſet generi humano. Tanta enim eſt ejus corruptio, ut vel afflatum divinum confudiſſent cum dictamine affectus humani; vel non intellexiſſent, vel quoque oblivioni tradidiſſent. Certum eſt, Paulum divinâ & cœleſti voce proſtratum, miſſum eſſe ad Ananiam, qui ei ex divina revelatione divina myſteria tradidit. Act. IX. Cornelius quoque centurio, cui Angelus revelaverat, orationes ejus eſſe exauditas, inſtruendus

erat Petri doctrina revelata. Act. X. Unde cognoscimus, DEUM non voluisse, ut homines afflatibus divinis ad regnum gratiæ perducantur.

Th. XLIV.

Bene Anton. Possevinus: *Quam ob rem non omnes vulgo per internum afflatum DEUS distinctè docet, quid de se credi, quidve à suis agi velit in singulari proponendo. Sed per corporales literas, quas & cernamus & legamus erudire nos voluit.* Bibl. Sel. L. II. cap, 31. p. 73. Unde revelationis scriptæ necessitatem inferimus.

Th. XLV.

Revelatio divina maximam utilitatem attulit corrupto generi humano, dum tenebras intellectus & pravitatem voluntatis & affectuum detexit. Nunc cognoscimus vera esse verba Pauli Rom. I. 11. dicta: *Gentiles cognovisse quidem DEUM, sed non ut DEUM glorificasse, aut eidem gratias egisse. Gentiles vanos factos esse in cogitationibus suis, & obscuratum esse insipiens cor eorum.*

Th. XLVI.

Philosophi sibi, aliisque sapientes visi, vel providentiam DEI negarunt, vel dubitationibus suis omnia incerta reddiderunt, vel creaturas loco DEI adorarunt, vel fundamenta moralis doctrinæ subruerunt, adeoque generi humano parum profuerunt. E contrario viri, nulla humana sapientia clari, nullis Philosophorum studiis culti, sed simplices & contempti, sed à DEO inspirati, providentiam divinam, & quæ in ea relucent, sapientiam, bonitatem & justitiam demonstrarunt. Præterea iidem voluntatem DEI erga ho-

homines benignissimam, quod eos ex corruptione educere & ad cœlestem vitam evehere velit, significarunt: veritates quoque naturæ lumine notas, divina autoritate confirmarunt; alias rationi ignotas, sed ad salutem hominum necessarias revelarunt. Hi longè majorem utilitatem generi humano attulerunt, quàm Philosophi in universo mundo celeberrimi.

Th. XLVII.

Nullus fuit gentilis Philosophus, qui omnes veritates, quas naturale lumen cognoscere potest, revera cognoverit; quivis in rebus quibusdam arduis à veritate aberravit. Monstravit hoc Autor Historiæ Philosophiæ paganæ, T. I. cap. XXXIV. E contrario Scriptores, qui revelationes divinas scripserunt, nullas admiserunt falsas opiniones, nec ullus est, qui aliqua in re aberraverit. Unde infertur, æqvum esse, ut homo rationis lumen submittat lumini Revelationis, longè perfectiori & certiori.

Th. XLVIII.

Philosophi gentiles ejusmodi propagarunt doctrinas, quæ in locum verarum virtutum substituerunt earum simulacra, quæ odia, vindictam, bella, clades, furta, mendacia in mundo sustentarunt. Sed Revelatio divina ejusmodi doctrinas hominibus proposuit, quæ charitatem mutuam erga omnes, justitiam, temperantiam, pacem, tranquillitatem, veracitatem, sinceritatem, autoritate & virtute divina præcipiunt. Si homines revelationi divinæ verè crederent, & ejus præcepta observare studerent, magna foret in Rebuspublicis tranquillitas, & exoptata felicitas.

Th. XLIX.

Maxima accessit generi humano felicitas, cum per doctrinam Apostolorum eorumque successorum, mundus ferè totus gentilis fieret Christianus. Admiranda hæc fuit mutatio: quæ enim idola gentiles antea osculati erant & adoraverant, ea, receptis divinæ revelationis dogmatibus, rejecerunt, confregerunt, & uti dæmones aversati sunt. Doctrina revelata, quæ Judæis scandalum & gentilibus stultitia erat; quæ Imperatorum decretis prohibita, & Sacerdotum commodis adversa; quæ abnegationem sui ipsius, charitatem inimicorum, castitatem vitæ, contemptum rerum mundanarum, patientiam in calamitatibus, ipsaque morte præscribit; ea celeriter, uti fulgur, illuminavit omnes terræ partes, multasque ad divinæ gratiæ regnum conduxit. Certum est, longè majorem fuisse Revelationis divinæ virtutem, quàm doctrinæ falsæ & receptæ efficaciam.

Th. L.

Coronidis loco quæstionem addamus. Quæritur, utrum homines, qui lumine naturali rectè utuntur, sine revelationis lumine salutem æternam consequi possint? Respondemus: hanc quæstionem esse inutilem, 1.) quia, ut vidimus, homines in tantam collapsi sunt corruptionem, ut nemo sit, qui omnes veritates lumine naturæ cognoscibiles cognoverit, neque ullus, qui officia omnia sibi à lumine naturæ præscripta, fecerit. 2.) Quia cognovimus, notitiam DEI naturalem esse imperfectam, nec eâ virtute præ-

ditam,

ditam, quæ hominem ad ſalutem æternam ducere poſſit. 3.) Quia nullum proſtat exemplum hominis, qui per ductum ſolius rationis ad vitam æternam pervenerit; omnes enim, quos hiſtoria ſacra ſalvatos refert, revelatione divina illuminatos novimus. 4.) Quia omnes, qui de ſalvatis loqui volunt, conſulere debent, quæ DEUS de illis dixit. Paulus de Gentilibus, qui ſine revelatione divina vixerunt, ſcripſit: *Eos fuiſſe illo tempore ſine Chriſto, abalienatos à politia Iſraelis, & peregrinos Teſtamentorum, promiſſionis nullam ſpem habentes, & Atheos* (i. e. falſos Deos colentes, Gal. IV. 8. & ſalutari cognitione carentes) *in mundo*. Eph. II. 12.

Th. LI.

Dicis: Gentiles, qui lumine naturæ non rectè uſi ſunt, dicuntur inexcuſabiles, Rom. I. 20. Ex quo ſequitur, Gentiles, qui lumine naturæ rectè utuntur, eſſe excuſabiles, & ſalutem conſequi poſſe. Reſpondemus: 1.) Si Gentiles rectè uſi eſſent naturæ lumine, eſſent in hoc excuſabiles, nec propter abuſum luminis naturæ condemnati eſſent. Sed ex hoc non ſequitur, eos per lumen naturæ ſalutem conſequi potuiſſe, quia ſecundùm divinam revelationem, nemo ſine CHRISTO ſalutem conſequitur, Joh. XVII. 3. 2.) Si Gentiles rectè uſi eſſent lumine naturæ, DEUM glorificaſſent, & ulterius quæſiviſſent; exiſtimamus DEUM illis ulteriorem revelationis gratiam non denegaſſe, quia ex revelatione novimus, DEUM omnes homines ad gratiæ regnum vocare.

Th.

Th. LII.

Regeris: Ad salutem sufficere, si quis credat, DEUM existere, & esse remuneratorem, Hebr. XI. 6. Respondemus: Qui id credit, uti in revelatione à DEO ipso explicatur, ille salutem consequi potest; qui verò id credit, prout lumine naturali cognoscitur, ille salutem non consequitur. Paulus loquitur de fide ex revelatione divina accepta; loquitur enim de homine, qui accedit ad DEUM reconciliatum, & qui DEO placet. Quando Paulus ibidem dixit, sine fide impossibile est placere DEO, intelligit talem fidem, qualem habuit Enoch, de qua locutus est in antecedenti versiculo.

Th. LIII.

Non licet sibi fingere systema religionis, & misericordiam DEI quærere, ubi DEUS nullam promisit. Spes salutis æternæ, speculationi Metaphysicæ de bonitate primi Entis superstructa, admodum infirma est. Qui sine revelationis duce bonitatis attributum temerè scrutatur, se facile in justitiæ abyssum præcipitat. Certum est nos esse peccatores, & conscientia nostra testis est, nos mereri pœnam divinam, licet mitissimè de nobis sentiamus. Sola revelatio monstrat fundamentum spei salutis æternæ. Captivam ducamus omnem cogitationem ad obediendum Christo.

SOLI DEO GLORIA.